

sunt incolæ in terra : hæc enim mandata et si audiunt, non sapiunt ; quia terrena sapiunt. Quorum autem conversatio in cœlis est¹, in quantum hic conversantur, profecto peregrinantur. Petant itaque ne abscondantur ab eis mandata Dei, per quæ ab hoc incolatu liberentur, diligendo Deum, cum quo in æternum erunt ; et diligendo proximum, ut illic sit ubi et ipsi erunt.

III. Quid autem diligendo diligitur, si ipsa dilectio non diligitur? Unde consequenter iste incola in terra, cum Dei mandata ne sibi absconderentur orasset, in quibus dilectio præcipitur vel sola vel maxime ; et ipsius dilectionis dilectionem se velle habere proclamat, dicens : « Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore². » Laudabilis est ista concupiscentia, non damnabilis. Non de hac dictum est, « Non concupisces³ : » sed de illa qua caro concupiscit adversus spiritum⁴. De hac autem bona concupiscentia qua concupiscit spiritus adversus carnem⁵, quære ubi scriptum sit ; et invenies, « Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum⁶. » Et multa alia reperiuntur bonæ concupiscentiæ testimonia. Sed hoc sane interest, quod non tacetur quid concupiscatur, quando bona commemoratur concupiscentia : cum autem non additur quid concupiscatur, sed sola ponitur, non nisi mala intelligitur. Sicut in hoc quod commemoravi, « Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum : » si non adderet, sapientiæ, nullo modo diceret, « Concupiscentia perducit ad regnum. » At vero Apostolus quod posuit, « Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, » Non concupisces⁷ : non utique addidit cujus rei concupiscentiam, vel quid non concupisces ; certum est enim non intelligi, cum ita dicitur, nisi malam concupiscentiam.

¹ Philip. iii, 20. — ² Psal. cxviii, 20. — ³ Exod. xx, 17. — ⁴ Rom. vii, 7. — ⁵ Gal. v, 17. — ⁶ Sap. vi, 21. — ⁷ Rom. vii, 7.

Quid ergo hujus anima concupivit? « Desiderare, inquit, » justificationes tuas in omni tempore. » Credo, nondum eas desiderabat, quando concupivit desiderare. Justificationes autem facta sunt justa, id est, opera justitiæ. Cum itaque nondum habeat et qui jam desiderat, quam longe ab his erat qui adhuc eas desiderare concupiscebat? Et quam longius ab eis sunt, qui neque hoc adhuc concupiscunt?

IV. Mirum est autem quomodo concupiscatur desiderium, nec sit in nobis cujus concupiscentia jam sit in nobis. Neque enim pulchrum aliquod corpus est, sicut aurum, vel caro aliqua speciosa, quam potest homo concupiscere, nec habere, quia extra posita non est in homine. Quis nesciat in homine esse concupiscentiam, in homine esse desiderium? Cur ergo concupiscitur ut habeatur, quasi forinsecus inferatur? Aut quomodo haberi ejus concupiscentia sine ipso potest, cum non sit et ipsum quid aliud quam concupiscentia? Nam et desiderare procul dubio concupiscere est. Quis est iste mirabilis atque inexplicabilis languor? Et tamen est. Nam et ægrotus qui fastidio laborat, et vult evadere hoc malum, concupiscit utique desiderare cibum, dum concupiscit non habere fastidium : sed hoc fastidium morbus est corporis. Concupiscentia vero qua concupiscit desiderare cibum, hoc est carere fastidio, in animo est, non in corpore : et habet eam non gutturis et faucium delectatio, quæ fastidio restringitur ; sed recuperandæ ratio sanitatis, qua pellendum escæ fastidium providetur. Et ideo non mirum est, si appetit animus ut appetat corpus, quando appetit animus nec appetit corpus. Cum autem utrumque animi est, et utrumque concupiscentia est, cur concupisco desiderium justificationum Dei? Quomodo in uno eodemque animo meo habeo concupiscentiam desiderii hujus, et ipsum non habeo deside-

rium? Aut quomodo ista duo sunt, et non unum? Ut quid enim concupisco desiderare justificationes, ac non ipsas justificationes potius quam earum desiderium concupisco? Aut quo pacto possum justificationum desiderium concupiscere, et ipsas justificationes non concupiscere; cum ideo earum desiderium concupiscam, quia ipsas habere cupio? Quod si ita est, jam ipsas utique concupisco. Quid igitur opus est ut earum desiderium concupiscam, cum jam id habeam, et habere me sentiam? Non enim possem concupiscere desiderium justitiæ, nisi concupiscendo justitiam. An hoc est quod superius dixi, quod diligenda sit etiam ipsa dilectio, qua diligitur quod diligi oportet; sicut odio habenda est dilectio, qua diligitur quod diligi non oportet? Odio quippe habemus concupiscentiam nostram, qua caro concupiscit adversus spiritum¹. Et quid est ista concupiscentia, nisi mala dilectio? Et diligimus concupiscentiam nostram, qua spiritus concupiscit adversus carnem. Et quid est ista concupiscentia, nisi bona dilectio? Cum autem dicitur, diligenda est, quid aliud dicitur quam, concupiscenda est? Quocirca quoniam recte concupiscuntur justificationes Dei, recte concupiscitur concupiscentia justificationum Dei. Hoc enim alio modo sic potest dici: Si recte diliguntur justificationes Dei, recte diligitur dilectio justificationum Dei. An aliud est concupiscere, aliud desiderare? Non quod non sit concupiscentia desiderium, sed quia non omnis concupiscentia desiderium est. Concupiscuntur enim et quæ habentur, et quæ non habentur: nam concupiscendo, fruitur homo rebus quas habet; desiderando autem, absentia concupiscit. Desiderium ergo quid est, nisi rerum absentium concupiscentia? Sed Dei justificationes absentes esse quomodo possunt, nisi quando nesciuntur? An et quando sciuntur et non fiunt, absentes

¹ Gal. v, 17.

habendæ sunt? Nam quid sunt justificationes, nisi opera justa, non verba? Ac per hoc possunt infirmitate animæ non desiderari; et ratione mentis, ubi videtur quam sint utiles atque salubres, potest earum desiderium concupisci. Sæpe enim quid agendum sit videmus, nec agimus; quia non delectat ut agamus, et cupimus ut delectet. Prævolat intellectus; et tarde sequitur, et aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus. Ideo ergo desiderare concupiscebat, quæ bona esse cernebat, cupiens eorum habere delectationem, quorum potuit videre rationem.

V. Non autem ait, Concupiscit; sed, « Concupivit anima » mea desiderare justificationes tuas. » Fortasse quippe talis erat iste incola in terra, qui jam pervenerat ad id quod concupiverat, jamque desiderabat eas, quarum se desiderium aliquando concupisse commemorat. Si autem jam desiderabat, cur non habebat? Non enim aliquid impedit quominus habeantur justificationes Dei, nisi quia non desiderantur, dum non in eas charitas fervet, quarum claritas lucet. An habebat eas, atque faciebat? Nam paulo post dicit, « Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis¹. » Sed quibus quasi gradibus ad eas perveniatur, ostendit. Prius est enim ut videatur quam sint utiles et honestæ; deinde ut earum desiderium concupiscatur; postremo ut proficiente lumine atque sanitate delectet earum et operatio, quarum sola ratio delectabat. Sed ea quæ sequuntur, quoniam jam iste prolixus est, alio sermone, adjuvante Domino, commodius disserentur.

¹ Psal. cxviii, 23.

SERMO IX.

I. PSALMI hujus quæ tractanda subsequuntur, admonent nos causam nostræ miseriæ recordari. Etenim cum dixisset, « Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore¹; » sive scilicet in rebus prosperis, sive in adversis; quia et in laboribus et doloribus debet delectare justitia; nec ita est tempore diligenda tranquillo, ut turbulento tempore deseratur, sed amplectenda est in omni tempore: continuo subiecit, « Increpasti superbos; maledicti qui declinant a mandatis tuis². » Superbi enim declinant a mandatis Dei. Aliud est quippe mandata Dei per infirmitatem vel ignorantiam non implere: aliud ab eis per superbiam declinare; sicut fecerunt qui nos mortaliter in hæc mala genuerunt. Delectavit enim eos, « Eritis sicut dii³: » ac sic a mandato Dei, quod sibi eum mandasse sciebant, et quod facillime nulla infirmitate revocante, impediante, tardante, implere poterant, per hanc superbiam declinarunt. Et ecce tota ista dura et infelix ærumna mortalium, quodam modo hæreditaria est increpatio superbiorum. Quando enim dixit Deus, « Adam, ubi es⁴? » non ubi esset ignorabat, sed superbium increpabat: et ubi tunc esset id est, ad quam miseriam pervenisset, non scire cupiebat, sed interrogando increpans admonebat. Vide autem quemadmodum cum dixisset, « Increpasti superbos: » non ait, Maledicti qui declinaverunt a mandatis tuis; ut illud tantum primorum hominum peccatum veniret in mentem: sed ait, « Maledicti qui declinant, » Oportebat enim ut omnes illo tererentur exemplo a divinis non declinare mandatis, et

¹ Psal. cxviii, 20. — ² Ibid. 21. — ³ Gen. iii, 5. — ⁴ Ibid. 9.

diligendo justitiam in omni tempore, in hujus mundi etiam labore recipere quod in paradisi amisimus voluptate. II. Sed quoniam superbi nec in tanta deponunt increpatione cervicem, et cum sint dejecti laboris mortisque supplicio, extolluntur superbiæ typho, imitantes elationem cadentium, irridentes humilitatem surgentium; pro eis orat corpus Christi, cum dicit: « Aufer a me opprobrium et contemptum, quoniam testimonia tua exquisivi¹. » Testimonia græce martyria nuncupantur, quo verbo jam utimur pro latino: Unde illos qui propter testimonium Christi diversis passionibus humiliati sunt, et usque ad mortem pro veritate certarunt, non Testes, quod latine utique possemus, sed græce Martyres appellamus. Quoniam hoc ergo familiarius auditis et dulcius, sic accipiamus hæc verba tanquam dictum sit, « Aufer a me opprobrium et contemptum, quoniam martyria tua exquisivi. » Christi corpus ista cum dicit, numquid ab impiis et superbis audire opprobrium atque contemptum ullam deputat pœnam, cum potius inde perveniat ad coronam? Cur ergo quasi grave aliquid et intolerabile a se poscit auferri, nisi quia, ut dixi, orat pro ipsis inimicis suis, quibus esse perspicit noxium, objicere sanctum nomen Christi tanquam opprobrium Christianis, et ejus a Judæis irrisam crucem totamque humilitatis christianæ medicinam, qua sola tumor ille sanatur, quo inflati cecidimus et jacentes amplius intumuimus, eadem superbia permanente et crescente contemnere? Dicat itaque corpus Christi; jam enim diligere didicit inimicos suos²; dicat Domino Deo suo, « Aufer a me opprobrium et contemptum, quia martyria tua exquisivi: » id est, opprobrium quod ideo audio, et contemptum quo ideo contemnor,

¹ Psal. cxviii, 22. — ² Matth. v, 44.

quia martyria tua exquisivi, aufer a me. Inimici enim mei, quos a me præcipis diligere, qui magis magisque moriuntur et pereunt, cum martyria tua contemnunt et criminantur in me, profecto reviviscunt et inveniuntur, si martyria tua venerentur in me. Ita factum est; hoc videmus. Ecce martyrium Christi, et apud homines et in hoc mundo, non solum non est opprobrium, sed magnum est ornamentum: ecce non solum in conspectu Domini, verumetiam in conspectu hominum jam pretiosa est mors sanctorum ejus¹; ecce non solum non contemnuntur: verumetiam magnis honoribus præferuntur Martyres ejus. Ecce filius ille junior, qui pro porcis, quos pascebat, id est, pro immundis dæmonibus quos colebat, particulam suam in paucissimis Christianis præcedentem persequebatur; jam nunc in tam multis et magnis populis gentium Martyres, quibus ingerebat opprobrium, religiosissime prædicans, et maximis laudibus quos contemnebat exaltans, mortuus erat et revixit, perierat et inventus est². Hoc tam magno lucro correctionis, conversionis et redemptionis inimicorum suorum corpus Christi Deo dixit: « Aufer a me opprobrium et contemptum. » Et quasi quæreretur de qua re opprobrium, de qua re contemptum; subjungit, « Quoniam martyria tua exquisivi. »

III. Ubi est nunc illud opprobrium? ubi ille contemptus? Abierunt atque transierunt; et quia inventi sunt qui perierant, illa perierunt. Sed quando Ecclesia talia precabatur, illa patiebatur. « Etenim sederunt principes, inquit, » et adversum me loquebantur³. » Inde persecutio gravis erat, quia eam sedentes, hoc est, judiciariis sedibus eminentes, principes decernebant. Refer hoc ad ipsum caput, invenies sedisse principes Judæorum, consilium quærentes quomodo Christum perderent⁴. » Refer hoc ad corpus

¹ Psal. cxv, 15. — ² Luc. xv, 12-24. — ³ Psal. cxviii, 23. — ⁴ Matth. xxvi, 3.

ejus, id est, Ecclesiam; invenies reges terræ excogitasse atque jussisse quomodo Christiani nusquam essent. « Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur: » servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus¹. » Qualis exercitatio hæc fuerit, qui nosse desideras, quod adjunxit intellige: « Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ. » Recole quod superius commendavi testimonia esse martyria. Recole in justificationibus Domini nullam esse difficiliorem et mirabiliorem, quam ut suos quisque diligeret inimicos. Sic ergo exercebatur corpus Christi, ut et martyria ejus meditaretur, et diligeret eos a quibus opprobrantibus et contemnentibus propter ipsa martyria persecutiones patiebatur². Non enim pro se, sicut jam commendavimus, sed pro ipsis potius orabat dicens: « Aufer a me opprobrium » et contemptum. Sederunt ergo principes et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis. » Quonam modo? « Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ³. » Consilium contra consilium: consilium sedentium principum fuit inventos Martyres perdere: consilium patientium Martyrum fuit inimicos perditos invenire. Reddebant illi mala pro bonis; isti, bona pro malis. Quid ergo mirum, si illi occidendo defecerunt, isti moriendo vicerunt? Quid, inquam, mirum, si Martyres, sævientibus gentibus, temporalem mortem patientissime pertulerunt, et gentes, Martyribus orantibus, ad æternam vitam pervenire potuerunt; dum corpus Christi sic exercebatur, ut et martyria meditetur, et malis Martyrum persecutoribus bona precetur?

¹ Psal. cxviii, 24. — ² Matth. v, 44. — ³ Psal. cxviii, 22.

SERMO X.

I. SEQUITUR in isto Psalmo majore, quod considerare, et sicut Dominus dederit, pertractare debemus, « Adhæsit pavimento anima mea; vivifica me secundum verbum tuum¹. » Quid est, « adhæsit pavimento anima mea? » Nam cum adjungit et dicit: « Vivifica me secundum verbum tuum; » quare se vivificari poscat, ulique causam præmisit, dicendo; « Adhæsit pavimento anima mea. » Ergo quia propterea se vivificari petit, quia pavimento adhæsit anima ejus, mirum si boni aliquid hinc vult intelligi. Ita quippe se habet tota ista sententia, tanquam diceret: Mortuus sum; vivifica me. Quid est ergo pavimento? Si tanquam unam quamdam domum magnam universum mundam velimus accipere, videmus velut ejus cameram cœlum: terra erit igitur pavimento. Vult itaque terrenis erui, et cum Apostolo dicere: « Conversatio nostra in cœlis est². » Proinde terrenis adhærere, mors animæ est; cui malo contraria poscitur vita, cum dicitur: « Vivifica me. »

II. Sed videndum est, utrum congruant huic verba ista, qui superius talia dixerat, quibus magis Deo videatur adhæsisse quam pavimento, ut conversatio ejus non in terrenis, sed in cœlestibus haberetur. Quomodo enim potest intelligi terrenis adhæsisse qui dicit: « Servus autem tuus » exercebatur in tuis justificationibus; nam et testimonia » tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ? » Hæc sunt enim verba ejus antecedentia, quorum antecedentium ista sunt consequentia: « Adhæsit pavimento anima mea. » An ex hoc intelligere debemus,

¹ Psal. cxviii, 25. — ² Philip. iii, 20.

quantumlibet quisque proficiat in justificationibus Domini, habere eum mortalis carnis affectum circa ista terrena, in quibus vita humana tentatio est super terram¹; et ab hac morte si perseveranter proficit, quotidie reviviscere, vivificante illo, cujus gratia homo noster interior renovatur de die in diem². Nam et illud Apostolus cum dicebat: « Quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino³; » et concupiscebat dissolvi, et esse cum Christo⁴; adhæserat pavimento anima ejus. Unde et corpus ipsum, quia ex terra est, non absurde intelligitur pavementum; quod adhuc quia corruptibile est, et aggravat animam⁵; recte in illo congemiscitur, et dicitur Deo: « Adhæsit pavimento anima mea; vivifica me secundum verbum tuum. » Neque enim non cum corporibus nostris semper cum Domino erimus⁶: sed tunc quia non erunt corruptibilia, nec animas aggravabunt, si diligenter consideremus, non eis nos, sed ipsa nobis potius adhærebunt, nos autem Deo. Unde alterius Psalmi verba illa sunt: « Mihi autem adhærere Deo bonum est⁷: » ut vivant corpora ex nobis, adhærendo nobis; nos autem vivamus ex Deo, quia « Nobis adhærere Deo bonum est. » Adhæsisio quippe ista, de qua dictum est: « Adhæsit pavimento anima mea, » non conjunctionem carnis et animæ, quamvis et ipsam quidam intellexerint; sed carnalem magis animæ affectum, quo caro concupiscit adversus spiritum⁸, significare mihi videtur. Quod si recte accipitur, profecto qui dicit: « Adhæsit pavimento anima mea; vivifica me secundum verbum tuum, » non id orat, ut de corpore mortis hujus, morte ipsius corporis interveniente, solvatur; quod dies ultimus vitæ hujus, qui propter ejus brevitatem non potest esse diuturnus, quandoque facturus est: sed

¹ Job. vii, 1. — ² 2 Cor. v, 6. — ³ Ibid. — ⁴ Philip. i, 23. — ⁵ Sap. ix, 15. — ⁶ 1 Thess. iv, 12-16. — ⁷ Psal. lxxii, 28. — ⁸ Gal. v, 17.

ut concupiscentia qua concupiscitur adversus spiritum, magis magisque minuatur, et concupiscentia qua concupiscitur adversus carnem, magis ac magis augeatur; donec ista consumatur in nobis, et illa consummetur per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

III. Bene autem non ait, « Vivifica me » secundum meritum meum; sed ait, « Secundum verbum tuum. » quod quid est aliud, nisi secundum promissum tuum? Filius promissionis vult esse, non filius elationis: ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Hoc est enim verbum promissionis: « In Isaac vocabitur tibi semen: Hoc est, Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semine¹. » Nam quid erat ipse per se ipsum, in eo quod sequitur, confitetur: « Vias meas enuntiavi, et exaudisti me². » Nonnulli quidem codices habent, « Vias tuas; » sed plures, et maxime graeci, « Vias meas, » hoc est, malas. Nam hoc mihi videtur dicere: Peccata mea confessus sum, et exaudisti me, hoc est, ut dimitteres ea. « Doce me justificationes tuas. » Confessus sum vias, delesti eas; doce me tuas. Sic doce me, ut agam; non ut tantummodo sciam quid agere debeam. Sicut enim dictum est de Domino quod « Non noverat peccatum³, » et intelligitur non fecerat; sic et justitiam ille vere dicendus est nosse, qui facit. Proficientis hæc oratio est. Nam utique si omnino non faceret, profecto illa superiora non diceret: « Servus autem tuus exercebatur in » tuis justificationibus. » Non ergo in quibus exercebatur, has vult a Domino discere; sed ab istis ad alias proficiendo, velut crescendo, desiderat pervenire.

IV. Denique adjungit, et dicit: « Viam justificationum » tuarum insinua mihi⁴; » vel sicut nonnulli codices ha-

¹ Gen. xxi, 22, et Rom. ix, 7, 8. — ² Psal. cxviii, 26. — ³ 2 Cor. v, 21. — ⁴ Psal. cxviii, 27.

bent: « Instrue me. » Quod expressius de graeco dicitur: « Fac me intelligere¹. Et exercebor in mirabilibus tuis. » Ipsas justificationes ampliores, quas proficiendo cupit apprehendere, mirabilia Dei vocat. Sunt ergo quaedam Dei justificationes ita mirabiles, ut humana infirmitas ab eis qui experti non sunt, non ad eas posse pervenire credatur. Unde laborans iste, et earum difficultate quodam modo fatigatus: adjungit, « Dormitavit anima mea præ tædio; » confirma me in verbis tuis². » Quid est « Dormitavit, » nisi ab spe refriguit, qua eas se apprehensuram esse crediderat? Sed, « Confirma me, inquit, in verbis tuis, » ne ab eis quoque, ad quæ pervenisse me jam sentio, decidam dormitando: confirma itaque me in eis verbis tuis, quæ jam teneo, quæ jam facio, ut ex eis ad alia possim proficiendo pertendere.

V. Et quid impedit in via justificationum Dei sic ambulare, ut homo facile possit ad illa etiam mirabilia pervenire? Quid putamus, nisi quod a se amoveri in consequentibus rogat dicens: « Viam iniquitatis amove a me³? » Et quia lex factorum « Subintravit, ut abundaret delictum⁴: » sequitur, et dicit: « Et lege tua miserere mei. » Qua lege, nisi lege fidei? Audi Apostolum: « Ubi est ergo » gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei⁵. » Hæc est lex fidei, qua credimus et oramus per gratiam nobis donari, ut faciamus quod per nosmetipsos implere non possumus; ne ignorantes Dei justitiam, et nostram volentes constituere, justitiæ Dei non simus subjecti⁶. In lege itaque factorum, est Dei jubentis justitia: in lege autem fidei, subvenientis misericordia.

VI. Cum autem dixisset: « Et lege tua miserere mei; »

¹ Græc. συνέτισόν µε. — ² Psal. cxviii, 26. — ³ Ibid. 29. — ⁴ Rom. vii, 20. — ⁵ Id. ii, 27. — ⁶ Id. x, 3.

de beneficiis ejus, quæ jam consecutus est, quodam modo, si dici potest, præscribit, ut impetret cætera quæ nondum est consecutus. Ait enim : « Viam veritatis elegi ; judicia tua non sum oblitus. Adhæsi testimoniis tuis : Domine, » noli me confundere. Viam veritatis elegi, » ubi currem : « Judicia tua non sum oblitus, » ut currem : « Adhæsi testimoniis tuis, » cum currem : « Domine, » noli me confundere¹ ; » quo curro pertendam, quo tendo perveniam. Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei². Denique sequitur : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum³. » Non currem, nisi dilatasses cor meum. Prorsus isto versu exponitur quemadmodum dictum sit : « Viam veritatis elegi, » judicia tua non sum oblitus, adhæsi testimoniis tuis. » Cursus est quippe iste viæ mandatorum Dei. Et quia potius ejus beneficia quam sua merita Domino allegat, tanquam diceretur ei : Quomodo istam viam cucurristi, eligendo, et Dei judicia non obliviscendo, et ejus testimoniis adhærendo? an per te ipsum ista potuisti? Non, ait. Quid ergo? « Viam mandatorum tuorum, inquit, cucurri, cum dilatasti cor meum. » Non ergo per proprium, et quasi nullius tuæ opis indigum arbitrium meum ; sed « Cum » dilatasti cor meum. » Cordis dilatatio, justitiæ est delectatio. Hæc munus est Dei ; ut in præceptis ejus non timore pœnæ angustemur, sed dilectione, et delectatione justitiæ dilatemur. Hanc enim nobis promittit latitudinem ejus dicens : « Habitabo in eis, et deambulabo⁴. » Quam enim latum est ubi deambulat Deus! In hac latitudine diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis⁵. Unde etiam dictum est : « Et » in plateis tuis discurrant aquæ tuæ⁶. » Platea quippe de

¹ Psal. cxviii, 30, 31. — ² Rom. ix, 16. — ³ Psal. cxviii, 32. — ⁴ I Cor. vi, 16. — ⁵ Rom. v, 5. — ⁶ Prov. v, 16.

verbo græco a latitudine nobis accepit ; quoniam græce *πλατος* dicitur latum. Hæ sunt aquæ de quibus Dominus clamat : « Qui sitit, veniat ad me. Qui credit in me, flumina » aquæ vivæ fluent de ventre ejus : » et exponens Evangelista quid dixerit, « Hoc autem, inquit, dicebat de Spi- » ritu, quem accepturi erant, qui credituri erant in » eum¹. » Multa dici possent de ista cordis latitudine, sed hujus sermonis jam contradicitur longitudini.

SERMO XI.

I. In Psalmo isto magno sequitur quod nobis, adjuvante Domino, considerandum atque tractandum est. « Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper². » Apostolus dicit : « Justo lex non est posita, injustis autem et non subditis, » et cætera, quæ ibi concludens ait, « Etsi quid aliud sanæ » doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium » gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi³. » Numquid ergo talis erat iste qui dicit, « Legem pone mihi, Domine, » qualibus beatus Paulus dicit positam legem? Absit. Si enim talis esset, non superius dixisset? « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. » Quid est ergo quod orat ut sibi lex a Domino ponatur, si non ponitur justo? An eo modo non ponitur justo, quo modo posita est populo contumaci, in tabulis lapideis⁴, non in tabulis cordis carnalibus⁵; secundum Testamentum Vetus ex monte Sina, quod in servitutem generat⁶, non secundum Testamentum Novum, de quo scriptum est per Je-

¹ Joan. vii, 37-39. — ² Psal. cxviii, 33. — ³ I Tim. i, 9-11. — ⁴ Exod. xxxi, 18. — ⁵ 2 Cor. iii, 3. — ⁶ Gal. iv, 24.

remiam prophetam : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et » consummabo domui Israël et domui Juda Testamentum » novum, non secundum Testamentum quod disposui pa- » tribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut » educerem eos de terra Ægypti : quoniam ipsi non per- » manserunt in Testamento meo; et ego neglexi eos, dicit » Dominus. Quoniam hoc est Testamentum quod consti- » tuam domui Israël : post dies illos, dicit Dominus, dabo » leges meas in mentibus eorum, et in cordibus eorum » scribam eas¹. » Ecce quomodo vult iste legem sibi poni a Domino; non sicut injustis et non subditis ad Vetus Testamentum pertinentibus posita est, in tabulis lapideis; sed sicut sanctis filiis liberæ, hoc est supernæ Jerusalem, filiis promissionis, filiis hæreditatis æternæ, sancto Spiritu tanquam digito Dei in mente datur, et in cordibus scribitur : non quam memoria teneant, et vita negligant; sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo, in latitudine amoris, non timoris angustiis. Nam qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi; ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus; nec mundatur opere, qui immundus est voluntate. Talis non potest dicere quod iste dixit in superioribus versibus, « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum : » quia illa dilatatio charitatem significat, quæ secundum Apostolum legis est plenitudo².

II. Cur ergo iste adhuc poscit sibi legem poni; quæ utique si non ei posita fuisset, non viam mandatorum Dei in cordis latitudine cucurrisset? Sed quia proficiens loquitur, et Dei donum novit esse quod proficit; quid aliud petit, cum sibi legem poni petit, nisi ut in ea magis ma-

¹ Jerem. xxxi, 31-33. — ² Rom. xiii, 18.

gisque proficiat? Quemadmodum si poculum plenum teneas, et sitienti dare incipias; et haurit bibendo; et poscit desiderando. Quibus autem injustis¹ et non subditis lex in lapideis tabulis ponitur, prævaricationis reos, non promissionis efficit filios. Sed et ille qui ejus meminit, nec eam diligit; eo modo reus est; quia memoria ejus lapis illi est quodam modo scriptus, non quo adornetur, sed quo prematur; pondus oneris, non titulus honoris. Hanc autem legem iste viam justificationum Dei vocavit; nec alia via est mandatorum ejus, quam se cucurrisset jam dixerat, cum dilatatum est cor ejus. Ergo et cucurrit, et currit, donec perveniat ad palmam supernæ vocationis Dei. Denique cum dixisset : « Legem pone mihi, Domine, viam » justificationum tuarum : » addidit : « Et exquiram eam » semper. » Quid enim exquirat quod habet, nisi quia et habet agendo, et exquirat proficiendo?

III. Sed quid est, « Semper? » Utrum exquirendi non erit finis? Sicut dictum est, « Semper laus ejus in ore » meo²; » quia laudandi non erit finis : neque enim Deum non laudabimus, cum ad ejus regnum pervenerimus æternum, cum legamus : « Beati qui habitant in domo tua, in » sæcula sæculorum laudabunt te³. » An, « Semper, » dictum est, quandiu hic vivitur, quia tandiu proficitur; post hanc autem vitam qui bene hic proficiebat, ibi perficitur? Sicut de quibusdam foeminis dictum est : « Semper dicentes : » sed illæ male, quia secutus adjunxit : « Et » ad veritatis scientiam nunquam pervenientes⁴. » Qui vero in melius semper hic proficit, quo proficiendo nititur, pervenit, ubi jam non proficiat, quia perfectus sine fine consistit. Nec de illis tamen ita dictum est : « Semper dicentes, » ut et post mortem discere perseverent vana et infructuosa; cum talibus doctrinis successerint, non studia,

¹ Tim. i, 9. — ² Psal. xxxiii, 2. — ³ Id. lxxxiii, 5. — ⁴ 2 Tim. iii, 7.